



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 45. Ludovici de Arragonia Cardinalis fata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

*Ludovici de Arragonia Cardinalis
fata.*

Tertius eodem anno mortalitatem
exiit Ludovicus de Arragonia spu- Ciac. l. c.
p. 187.
rius Ferdinandi I. Neapolis Regis Filius.
Hic licet matrimonium contraxisset cum
Joanna Baptistina Cybo, ea tamen de-
functa, ab Innocentio VIII. clericali mi-
litiæ adscriptus Protonotarii Apostolici
munere insignitus est; demum vero, ut
habetur in Diario Burchardi, ab Alexan-
dro VI. Anno Christi millesimo quadrin-
gentesimo nonagesimo septimo primum
renunciabatur Cardinalis tit. S. Mariæ
in Aquiro, postea titulum S. Mariæ in
Cosmedin selegit. Rexit Ecclesiam A-
versanam, inde vero ad Legionensem in
Hispania translatus fuit. Interfuit etiam
tribus comitiis Pontificiis, in quibus in
Romanos Pontifices Pius III. Julius II.
& Leo X. electi sunt. Reginam quoque
Neapolitanam Ferdinandi Regis viduam
in Hispaniam reduxit, quo itinere con-
fecto in Italiam per Gallias rediit, ac sub
Leonis X. Pontificatu in Germaniam se-
contulit. Vitam cum morte commuta-
vit Romæ anno ætatis suæ quadragesi-
mo quinto, ac sepultus est in Æde S. Ma-
riæ supra Minervam. Petrus Martyr de
Hist. Eccles. Tom. XXXIII. li An-

Sæcul. XVI Angleria eidem *Oceanæ Decadis* librum
A.C. 1519. quintum & sextum, necnon carmen in
 obitu Regis Catholici a se compositum
 nuncupavit.

§. XLVI.

*Mors Cardinalis Rossii, seu de
 Rubeis.*

*Ciacon. in
 Leon. X.*

p. 389

Garimb. l. 7.

Quartus denique ac postremus erat A-
 loysius Rossius, seu de Rubeis, Flo-
 rentinus ex Patre Leonecto equite no-
 bili & clarissimo cive, ac ex Leonis X.
 Pontificis maximi Sorore natus Anno
 Domini millesimo quadringentesimo se-
 ptuagesimo quarto. A puero sub Leo-
 nis Papæ cura educatus, in literarum stu-
 diis a celebribus omnino Magistris eru-
 ditus est; ac summo Pontifici apprime
 carus fuit ob singularem ejus in rebus
 gerendis dexteritatem: unde etiam Ros-
 sius ex gratitudinis debito tam in ad-
 versis quam in prosperis fidissimus Papæ
 comes exstitit; horumque meritorum
 suffragio ab eodem Leone ad supremos
 Ecclesiæ apices evecto sub annum Chri-
 sti millesimum quingentesimum decimum
 septimum Cardinalis tit. S. Clementis re-
 nunciatus est. Exiguo post adeptam
 purpuram tempore vixit; extremum e-
 nim diem clausit Romæ in Apostolico
 Palatio die vigesima Julii Anno Incarna-
 tionis